

P. II. Cap. V.
de Versione
Vulgata La-
tina.

in solidum adscribere, nulli dubitant. * In his Augustin. Eugubinus Steuchus, Joh. Picus Mirandulanus Comes, Nicol. Serarius, Joh. Mariana, & plerique Romanæ ecclesiæ moderni doctores, numerantur, ut mirari subeat, qua fronte Erbermannus in *Bellarmino Vindicato* p. 58. scribere non erubuerit: *Quis Catholicorum Vulgatam totam tribuit S. Hieronymo?* eoque nomine Amesium *splendidissimi* postularit mendacii, quod hujusmodi quid de Pontificiis affirmet. Quanquam enim illam, ut hodie legit, qua omnes voces & partes, ad Hieronymum forte non referant Pontificii, nec salva veritate referre possint, quando tamen, generatim loquendo, de autore quæstio est, ad unum omnes Hieronymum provocare consueverunt. Omnino Hieronymi esse modernam Vulgatam, exceptis libris nonnullis, quos ecclesia secundum Veterem Vulgatam adhuc legit, absolute & plus vice simplici affirmat Rich. Simon *Hist. Crit. Vet. Test. lib. II. Cap. XI. p. 244. sqq.* ut ut diffiteri nequeat, in nonnullis locis ex Vetere illa esse permixtam: probatque ex eo, quod moderna Vulgata composita sit ad textum Hebræum, quem veterum ecclesiæ Patrum, præter Hieronymum, tentare potuerit nullus. Unde in Eugubini & Marianæ sententiam pedibus concedit; quanquam illam quæstionem: an Hieronymus Vulgatæ modernæ totius, & in singulis quoque minutis, autor sit? amoliri potius & procul habere malit. Mixtam denique ex Hieronymi & aliis fateatur Baronius *cit. loco*, Driedo *lib. II. cap. I.* Duacenses Theologi *præfat. in Vet. Test. Sixtus Senensis lib. VII. Biblioth. Sanctæ heresi I. & lib. VIII. ad Object. 8.* Guil. Budæus *annotat. ad Pandectas p. 163.* & alii non pauci. Bellarminum supra citatum si audire instar omnium libeat, ejus sententia quatuor comprehensa positionibus, ita habet: 1. *Testamentum Nov. Latinum editionis Vulgatæ ex antiqua versione habemus, quam tamen b. Hieronymus emendavit: 2. Psalterium vulgatæ editionis Latine non est illud, quod D. Hieronymus transtulit ex Hebræo, neque illud, quod transtulit ex versione Græca LXX. Interpretum, sed illud, quod ipse emendavit, translatum ab antiquo*

* Universum hoc sententiarum inter Pontificios divortium, copiose & erudite recenset Humfr. Hody *de Biblior. Text. & Versionib. Lib. III. P. II. Cap. XV. §. 191. p. 547. sqq.* qui videatur.